

Dissertatio chronologica de aetate mundi / [Heinrich Hieronymi].

Contributors

Hieronymi, Heinrich.
Strauch, Aegidius, 1632-1682.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Wittenberg : M. Wendt, 1662.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/q92en7t2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO ^{כנר} CHRONOLOGICA
De

Ætate Mundi,

Quam

In Inclyta Academia VVittebergenſi,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Plurimum - Reverendi, Ampliſſimi

atq; Excellentiſſimi

DN. ÆGIDII STRAUCHII,

S.S. Theol. Doct. Mathem. Infer. Prof. Publ.

nec non Hiftoriarum Subſtituti

celeberrimi,

Dn. Patroni, Præceptoris ac Hoſpitis ſui

ſummè devenerandi

placida diſquiſitioni ſubjicit

ad diem 24. Decembr. Clō Iſc LXII.

in Auditorio Majori,

HENRICUS HIERONYMI,

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

58700 (18)



Q. D. B. V.

Ta cum tempore res comparata est, ut an encomio, an vituperio videatur dignius, inter Philosophos disputatum fuerit diutine. Neque enim Stoici tantum tempus commendarunt, ut omnium rerum normam & custodiam, sed & penes Aristotelem omnium rerum sapientissimum appellatur, quem titulum ideo gaudet potissimum, quod doceat quae incerta erant olim & rerum simul servet memoriam. Enimvero si quis adversarij indueret personam, de obscuritate ejus & quod essentia temporis difficulter definiatur, cum Augustino non tantum conquereretur: Quid ergo est tempus? Si nemo ex me quærat, scio, si quærenti explicare velim, nescio; Sed illud insuper commemoraret, tantam esse temporis edacitatem, ut consummat rerum memoriam & oblivionem, quâ nihil doctrinae inimicum est magis, infelici partu gignat. Non longius arcessemus ejus rei exempla; ipsâ mundi, & temporis adeo, Epochâ edocemur satis, quemadmodum in assignando antiquis rebus tempore, veritatem sectari, plenus periculi conatus sit, cui oneri ii quoque succubuerint, qui è literariis operis praeclaram meriti laudem sunt. Neque verò quod intricatum sit opus, deferendum statim vadimonium est, inquirendum potius, ut eruatur veritas. Cujus debiti nostri memores de vetustissimo tempore disputabimus quedam, atque de scopulis tantum agemus hac vice, quibus quamplurimi ÆTATEM MUNDI è Codice Biblico scrutantes, impegerunt hactenus: Ut igitur nos veritatem assequamur feliciter, FAX IT DEUS!

L. IV. *Phys.*

L. XIV.
Conf.

a. Tim. III,
17.

*Uranosc.
p. 108.
Medit. p. 158
de S. Script.
in rebus
Philosoph.
abusu.*

Praeter ea, quibus homo DEI redditur ἀέλιος καὶ ἡλιος, innumera in Codice Biblico occurrunt alia, quæ solidæ de rebus Philosophicis scientiæ avidos exercent valde: Nam ut quiescat terra, ut siderum moveatur exercitus, quæ occulta Imaginationis vis sit, dum colores aptat corporibus, uti Leoninum Imperii robur in Urfinam degeneraverit ferociam, & post fata varia, dum Pardi expresit formas, in beluinam abierit crudelitatem, (quod schemate summa illa orbis Imperia expresit Vates) & hujusmodi sexcenta alia, nemo melius, quam qui profitetur has artes, explicare poterit, gavisus testimoniō, quod omni exceptione certius est, & in quo tractando tanto religiosius versari Philosophus debet, quanto major est autoritas Ejus, quæ hæc literis signari voluit; Summa enim nobis videtur impietas, si quis cum *Redempto Baranzano*, Vercellensi Congregat. Regularium S. Pauli Sacerdote, *Renato Carthesio*, *Christophoro Wittichio*, aliisque Scripturæ Sacræ auctoritatem uniformem esse neget, & ex adverso asserat, ministrorum DEI de rebus Philosophicis testimonia parum æstimanda, imò conceptus eorundem è lumine rationis corrigendos esse. A qua profana sententia omnes, qui Sobriè philosophamur, alieni sumus, dum testimonia DEI reverenter suscipimus, nec latum ungvem ab iis, quæ divinitus revelata nobis sunt, recedere audemus.

§. 2. Quod si igitur ea, quæ de Ætate Mundi è testimoniis virorum Θεοπνεύτων cognosci possunt, summatim colligere placeat, ita Numeri in abaco ordinandi erunt:

Elapsi sunt anni

<i>Ab origine mundi usq. ad diluvium</i>	1656.	<i>Gen. V, 3 seqq. c. VII, 6</i>
<i>Hinc usq. ad Abrahami nativit.</i>	292.	<i>Gen. IX, 11. seqq.</i>
<i>Ad vocationem ejus</i>	75.	<i>Gen. XII, 4.</i>
<i>Ad exitum Israelitarum ex Ægypto</i>	430.	<i>Exod. XII, 40. Gal. 3, 17</i>
<i>Ad ædificationē templi s. 4. Salomonis</i>	480.	<i>1. Reg. VI, 1.</i>
<i>ad Jeroboanum</i>	36.	<i>1. Reg. XI, 42.</i>

Ad finem

Ad finem annorum peccatorum domus

Israel

390. *Ezech. IV, 9.*

Ad solutionem captivitatis, detractis

scil. à 70. annis, annis 11. quod inter

Jechonia captiv. & Zedekiam sunt

intercepti

59. *Jer. XXIX, 10.*

A condito mundo usq; ad solutionem 3418. captiv. Babyl. per
Cyrum.

A Cyro usq; ad annum secundum Darij

Nothi

110. *ex historia profana.*

tunc usq; ad excidium postreius

490 *Dan. IX.*

Ab origine mundi usq; ad Excidium 4018. templi posterioris.

§. 3. Hactenus è Mosis & Prophetarum scriptis, quem-
dmodum annorum Mundi ponendus sit calculus, ad Excidii
sq; posterioris tempora, indicavimus, semel tantum in sub-
dium vocatis profanæ historiæ Scriptoribus. Notandi porrò
sunt, qui Scepticismo & Pyrrhonismo assveti, computum
ætatis Mundi, qua partem priorem & Biblicam, incertum
addere conantur. Uti autem eos, qui Sacri Codicis testi-
monia ignorantes, de Mundi origine absurdè senserunt olim,
et hodiè sentiunt, parum moramur & secula illa ἀδύλον καὶ Varro.
ὅτι, iisdem relinquimus; ita dolemus, inter Christianos
veniri, qui Historiæ Sacræ Scriptoribus manifestò fidem de-
gant. Neque enim putandum est, *Rollenbagium* tantum,
mendaciorum architectum pariter & censorem adversus hunc
computum objecisse quondam: *Nos later verum anni tempus, p. 16.*
quo quilibet Patriarcha antediluvianus genuerit. Non enim veri-
tile, uno eodemq; die omnes Patriarchas natos esse. Ergò præcisa
ius summa numeratio nos later &c. Multò plures sunt, qui ad
ndem canunt tibiam, & inter hos *Autor Chronologia mystica*
ruit nuper, is enim in vindiciis pro sole Temporum &
ronologia mystica, ex septenario Creationis profluente
ipfit: *Quod hæc supputandi ratio adeò exacta sit, ut non modo*
s vel mensis, sed etiam annus nullus superesse aut deesse possit, id

nemo prudens rerumq; intelligens affirmaverit; nisi ex his duobus unum unà statuere velit: Aut uno eodemq; die anni revertentur omnes Patriarchas natos; Aut ipsum Spiritum S. unius excessu alterius defectu compensasse: illud absurdum, hoc incertum cussit, necesse est aliquid in hac temporis designatione in ambiguum manere. Etiam hanc ob causam, quia forma annorum, quae Patres ante Diluvium usi fuerunt, nobis hodie prorsus incognita est. Pleriq; Chronologi annos Patrum pro Julianis accipiunt, atq; in hoc intervallum totum numerant. At si Patres anno Aegyptiaco usi fuissent, ut nonnulli censent, abundaret calculus in annis Julianis plusquam sesquianno. Deniq; quacumq; anni forma, omnes annos pro praetisè completis accipere est contra verissimam B. Augustini regulam, dicentis: Scripturam Sacram solere annos inchoatos pro completis, vel contra, saepius usurpare. Quod cum nescimus, ubi & quando fiat, necesse est aliquam calculi incertitudinem hinc oboriri &c. Omnem deniq; pietatem Isaacus Peyrerijs errasse videtur, quando suum, è PraeAdamitarum hypothesei compositum Systema, ita auspicatus est: *Conditi orbis Epochae non ducendam esse ab illo principio, quod vulgo figitur in Adam* naturalis est suspicio, omnibus insita cognitione rerum vel medicriter imbutis. Videtur enim altius & à longissimè retroactis oculis petendum illud principium: tum ex antiquissimis Chaldaeorum rationibus, tum ex vetustissimis Aegyptiorum, Aethiopum, Scytharum monumentis, tum ex nupere detectis terrena machinamentis: tum ex regionibus illis incognitis, ad quas novissimè percrebuit navigando pervenisse Batavos & quarum homines verum simile est, non fuisse ab Adamo propagatos &c.

Proem.

S. 4. Adversus hos & similes, calculum Biblicum crinantes nos virorum *Ἰωάννης & τῶν* munit *ἀσφάλεια*. Quia enim annos Patriarcharum, & qui secuti eos sunt, annotari voluit Deus, nunquam persuadebit nobis, quicumq; id conabitur, irritiles ad controversiam, de aetate mundi componendam, facit esse numeros, siue enim *χρῆσις τῶν* Biblicae autorem non pertruisse, siue noluisse eum loqui perspicuè asseras, neutrum verisimiliter facies; Prærogativum enim est divinum testimonium & omni exceptione certius ac liquidius. Et fuerit saepe quadi

quædam dierum ac temporis in anno differentia, propterea-
 tamen totius intervalli, ratione annorum, certitudo minimè in-
 fringenda est, nisi profanos quoque Scriptores, quos eadem
 gravaret exceptio, & ita universam historiam, in dubium vo-
 care velis. Sed & Stylus Scripturæ & Epocharum connexio &
 loca parallela, & contextus firmissima Scripturam interpre-
 tandi adminicula sunt, quibus susq; deq; habitis, fatemur o-
 mninò, dubia quædam alicui oriri posse. Neque Chronolo-
 gorum de anno Patriarcharum disceptatio ullum reddat du-
 bium; Jamdudum enim est, quod Eruditi de hâc hypothese se-
 cum invicem consenserint, annos, quos in primo historiæ suæ
 Libro Moses citat, aut Solares aut Lunæ-Solares, aut tales ta-
 men fuisse, qui cum anno Solari & consequenter cum Juliano,
 aliquando fecerint paria. Quæ Autorum concordia cui non
 placet, is ad tractanda hæc studia minus se aptum esse, indicat,
 docilem enim eadem postulant scrutatorem, non qui multi-
 plicat lites, & ut reperisse videatur, non quod pueri in faba,
 ingentem sæpe vexat chartam. Enimverò minimè omnium
 nos eorum movet opinio, qui ob gentium quarundam fabulas
 de Mosaïcis numeris dubitant. Quod si enim infidelium deli-
 ria locum invenirent, jam mundi æternitas asserenda esset, vel
 homines fingendi *μεγαλυνος*, de quibus Poeta:

*Ante Jovem genitum terras habitasse feruntur
 Arcades & Lunâ gens prior illa fuit.*

*Ovid. L. II.
 Fast.*

ut taceam *Augustinum, Plutarchum, Censorinum aliosq;* jamdu-
 dum annotasse, Gentilium *χρὸνος γενεαλογίας*, de annis minoris
 quantitatis intelligendam esse.

§. 5. Uti igitur illud certissimum est, de temporum inter-
 vallis & ætate mundi adeò, multa & præclara Scriptores sacros
 annotasse, ita de eo disquiritur maximè, utrum perfectum ali-
 quod Chronologicum Systema, à Natali orbis ad Natalem Chri-
 sti usq; & proxima huic tempora, in Sacris Bibliis habeatur,
 ita ut non vocatâ in subsidium profanâ historiâ, annus Nativi-
 tatis Christi, cum certo Epochæ mundanæ anno, adhibitis
 tantum Veteris & Novi Testamenti Libris, ritè possit connecti
 & ita de Mundi ipsius ætate decerni? De quo dubio, an satis
 feliciter,

Chron.

feliciter, ambigo, prolixè tamen, *Matthæus Beroaldus* egit, & tantam de laboribus suis vel ipse concepit fiduciam, vel ex eius mente scripserunt alii. ut in titulo libri sequentia legantur verba: *Habes his libris, LECTOR CANDIDE, temporum rationem, in qua explicanda plurimi laborarunt, sic expressam & demonstratam, ut de ea posthac nulla sit movenda questio. Quandoquidem certus & indubitatus Scriptura Sacra testimonio, singula quæ hîc traduntur, ita sunt confirmata, ut nihil sentire, qui contra sentiant, videri possint.* In ipso verò Scripto, brevissimam seculi sentientes confutandi viam ostendit, quando de Historici Græcis ita sentit: *In Græca historia confusa sunt omnia ista tempora; Itaque nec constat, de tempore belli Medici, neque de tempore belli Peloponnesiaci, neque certi quicquam affirmari potest de rebus Græcia ante Philippi Macedonis Imperium.* Similiter & iis, qui Historiam Persarum literis consignarunt, fidem derogat, & quod finxerint, qui nunquam fuerint Reges, Cambysem putat & Darium Hytaspis accusat. Nos, inquit, quia ex Sacris literis priores novimus Persarum Reges, & posteriores novit Historiæ profana, hac de re statuere certius poterimus, quam aut Herodotus aut Iosephus, aut Manetho vel Metasthenes, aut Ctesias, quibus rerum istarum fides perit solet &c. Coeterum summa capita hujus Chronici Biblici ordinantur hîc modò:

*ad annum
M. 3501.*

L.III.cap.8.

L.II.c.4.

*Primum Seculū ab orbe condito usq; ad diluvium an. 1656.
Secundum, usq; ad discessum Abrahami ex Carris 427.
Tertium, usq; ad Legem promulgatam in Horeb 430.
Quartum, usq; ad templum Salomonicum 480.
Quintum, usq; ad captivitatem Babylonicam 408.
Sextum, usq; ad Cyrum & initium LXX Hebdom. 70.
Septimum, usq; ad finē LXX. Hebd. & passionē Christi 490.*

Summa annorum ab orbe condito usq; ad passionem Christi 3961.

§. 6. Neq; verò solus in hac, de Ætatis mundi computo sententia Beroaldus fuit, sed quamplurimos in hac sententia affectas habuit, inter quos *David Paræus* non tantum ex solâ Scriptura accuratissimè conscriptum Chronicum, (hic titulu
Libr.

Libri est) edidit, sed in Oratione quadam, de Lxx. Hebdom. dissentientes à se blasphemix cujusdam in Spiritum S. accusat. Postquam enim præmiserat, Deum eandem curam habuisse Sacra Chronologiæ à Babylonica captivitate, ad Christum usque, quam habuit ab Exordio mundi ad Babylonicam captivitatem, subjungit: *Qui hoc non concedunt, quomodo Spiritum S. negligentia, vel invidentia taciti non insimulent, viderint. Sed ut alios, & antiquiores præsertim, taceam, edidit ante aliquot annos M. Weinheimerus Salve Chronologicum, quod vocat, in quo omnes Exoticos historiæ Scriptores æternum valere jubet & quasi Sacris Codicibus illata esset vis, eorundem defensorem agere conatur: Numquid à tam illustribus & perspicuis oraculis p. 4. confusa gentium historia me revocent? Absit. Scripturas scrutari jubemur (præsertim in hac negotio) non gentium lacunas; Scriptura enim perfecta est, Græcorum verò & aliarum gentium historia, manca, mutila & imperfecta. Confusa est omnis antiquitatis apud Græcos cognitio, relatione vanissimorum hominum sæpè nitens. Quid confusam dico Græcorum historiam? Dubiam & suspectam Græcorum fidem semper extitisse, quis est, qui nescit? Quotusquisq; mediocriter versatus in Scriptorum Græcorum Historiis perpetuam illorū contradictionē nō animadvertit? Valeant igitur profani isti autores, à quibus tum demū historica veritatis testimonium, præsertim in hac re desumemus, ubi in gratiam mutuo redierint. Norma veritatis est S. Scriptura, cui mens pia tuto acquiescere potest & debet. Curiosus verò & sciolus ne tota Scriptura sufficiet. Hac ille.*

§. 7. Aliā adhuc viā rem aggressus est Johannes Jacobus Hainlinus, quando Sacros & profanos Historicos, calculi mystici ope conciliare conatus est. Fingit enim tum intervalla alia in Sacris Bibliis annotata, tum 70. annos captivitatis, talem anni formam supponere, quæ è septenario numero orta sit, id est, 343. dierum seu septem mensium, quorum singuli 49. diebus absoluti fuerint, ita enim dum anni Sacri quantitas minuitur, salvis historiis Exoticis, diu desideratam integram annorum seriem, ab orbe condito, usq; ad ultimum Hierosolymorum excidium, ex Sacra Scripturā colligi, adeoq; Vetus & Novum Testamentum, ad convincendam & confundendam Judæorum

pervicaciam, indissolubili vinculo, connecti posse putat. Quæ
hiatus Chronologici expletio, in Scriptura Sacra post tempo-
ra captivitatis Babylonicæ à plerisque Chronologis deplorata,
et auro contra cara nobis sit, loco citato monet.

§. 8. Quamvis autem nec veritati, nec integritati, vel per-
fectioni Scripturæ quicquam velimus detractum, nobis tamen
imaginari non possumus, Sententiam, quam sub pietatis Sche-
mate veteres & recentiores Beroaldistæ loco fundamenti po-
nunt, errorum expertem, nedum ut evitetur blasphemix cri-
men, instar cujusdam fidei articuli ab omnibus credendam es-
se. Alibi enim à nobis demonstratum est, nec à primo anno Cy-
ri Angelicas hebdomades inchoari, nec cum morte Salvatoris
nostri ullatenus finiri posse, quod non tantum indubitata &
coelestibus characteribus firmata Regum Babyloniæ Chrono-
logiæ & imprimis Canoni Mathematico, è manuscripto exem-
plari Ptolomæi, quod habetur Londini, ab Overallo, Decano
quondam Ecclesiæ Paulinæ in Germaniam misso adversatur
hypothesis hæc, sed nec Angeli verbis faciat satis, in quibus
terminus à quo intervalli mystici, nominatur mandati (utiq;
eventû ipsò roborati,) exitus **לְהַשִּׁיב וּלְבָנוֹת יְרוּשָׁלַיִם**
Dan. IX, 26. Terminus ad quem autem ejusdem intervalli exprimitur his
verbis: **וְהָעִיר וְהַקִּדְשׁ יִשְׁחָרְוּ עִם כְּנִיד הַכְּנִי וְקֶצֶר**
בְּשִׁטָּף וְעַד קֶץ מִלְחָמָה נִחְרָצֶת שְׁמִמּוֹת: *Civitatem ipsam*
& sanctuarium per dei populus principis venturus, eritq; illius finis
in inundatione, & usq; ad finem belli precisa desolatio &c. Vacil-
lante autem hypothesi hac, tota machina Beroaldini & Paræa-
ni Chronici, quod falso Biblicum inscribitur, ruinam minatur.
Frustra insuper dissensus profanæ historiæ Scriptorum ab ad-
versariis urgetur, neque enim is tantus est, quantum illi fin-
gunt, nec desunt adminicula, quorum ope Librariorum menda,
sicubi reperiuntur quædam, emendari possunt. Calculi verò
mystici falsitatem perstrinximus alibi. Ut adeò certum mane-
at, Chronologiam Biblicam in continua serie, verum annum
Nativitatis Christi, & ita maximam ætatis mundi partem, ne-
quaquam ostendere, sed desinere in Cyro, in Dario autem in-
choari.

hoari iterum, atque hoc intervallum è profana, quæ vocatur
 historia, determinandum esse. Verissimè Scaliger: *Actum In Elench.*
offet de Chronologia sacra, si absq; exoticis monumentis foret. Quod Prophetica
um Sapientissimi Scriptores, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Ter- *Chronolog.*
ullianus, Africanus, Eusebius, aliq; animadvertissent; omnino sine
Exotica Historia, intervalla Sacra deprehendi posse desperarunt.
 Dicatur igitur tumidis buccis, elatò superciliò, atrocem injuriam
 Spiritui S. fieri, si historia Sacra ab Exotica subsidium petat. Qua-
 si magna illa ignominia sit, si historia Exotica Sacra ancilletur!

§. 9. Postquam de certitudine & usu computi Sacri in
 controversia, ætatem mundi concernente, dictum est, diffici-
 lis de fide exemplarium Biblicorum oritur quæstio. Jamdu-
 lum enim est, quod de Codicum Ebræorum, & Græcorum dis-
 cordia conquesti Interpretes sint, & an numeri, qui in textu
 Hebræo extant hodie, an qui in Græca LXX. Interpretum ver-
 sione, an denique, qui à Josepho exprimuntur, genuini sint,
 accuratè disputarint. Neque exiguum illud dubium est, quod
 parvi ducere quis posset; Ecce enim immanem differentiam,
 in qua ex parte Græcorum & Josephi consignanda, Clarissimi
 Dn. *Isaaci Vossii* secuti sumus exemplaria.

Elapsi sunt anni, secundum

		Hebræos.	LXX.	Josephum.
<i>Gen. V. 3.</i>	<i>Ab origine M. ad Sethum</i>	130.	230.	230.
6.	<i>- Hinc ad Enochum</i>	105.	205.	205.
9.	<i>- Hinc ad Cainan</i>	90.	190.	190.
12.	<i>- - ad Mahaleel</i>	70.	170.	170.
15.	<i>- - ad Jared</i>	65.	165.	165.
18.	<i>- - ad Enoch.</i>	162.	162.	162.
21.	<i>- - ad Methusalem.</i>	65.	165.	165.
25.	<i>- - ad Lamechum.</i>	187.	187.	187.
28.	<i>- - ad Noachum.</i>	182.	188.	182.
<i>Gen. 6.</i>	<i>- - ad diluvium.</i>	600.	600.	600.
<i>Summa annorū ad diluvium</i>		1656.	2262.	2256.

<i>Gen. XI, 11. A Diluvio ad Arphachsat.</i>				2.	2.	2.
<i>Hinc ad Cainan.</i>				0.	135.	135
12.	-	-	<i>ad Salah.</i>	35.	130.	13
14.	-	-	<i>ad Eber.</i>	30.	130	130
16.	-	-	<i>ad Phaleg.</i>	34.	134.	134
18.	-	-	<i>ad Ragau.</i>	30.	130.	130
20.	-	-	<i>ad Serug.</i>	32.	132.	130
22.	-	-	<i>ad Nachor.</i>	30.	130.	132
24.	-	-	<i>ad Thara</i>	29.	79.	120
26.	-	-	<i>ad Abrahamum</i>	70.	70.	130
<i>Ab origine mundi usq; ad Abrahamum. 1948.</i>				3334.	3429	

*Dissert. de
Ætat. M.
c. VI.*

p. 259.

§. 10. Vides, quam inconciliatè Hebræi, Græciq; annos ab origine mundi numerent, & uti his quam proximè *Josephus* accedat; Inter hujus enim & illorum summam differentia non dum integrum seculum facit, eademq; minor erit multò, si, quod *Dn. Isaacus Vossius* vult, Thara anno ætatis 70. genuerit quidem Abrahamus verò primogenitus non fuerit, anno demum centesimo & trigésimo Parentis natus. Quam ultimam hypothesin nec solus nec primus *Isaacus Vossius* præposuit, cum in eandem conspirarint jam olim, præter *Lyræ* & *Torniellum*, *Beroaldus* ad unum omnes, item *Dn. Wilhelmus Langius* eandem approbarit sententiam. Hoc verò *Isaaco Vossio* proprium est & domesticum prorsus, quod solo contemptu secus sentientes confutare maluerit, quàm vim argumentorum, quibus utuntur hi, experiri. Ita enim arduam hanc controversiam confecit: *Minimè audiendi sunt, qui septuagesimo Tharæ annò Abrahamum natum fuisse contendunt. Rectius illi, qui in annum Patris 130. natalem ejus conjiciunt, ac primogenitum fuisse negant, sed dignitatis ergò primò nominari statuunt, quod ipsum quod, in Noachi liberis contigit, non enim Sem, sed Japhet, maximus natus erat. Argumenta, quæ pro vulgari opinione afferunt Scaliger & Petavius, frigida sunt, nec confutatione digna.* Enimverò si satisfacere debuisset Scriptor Clarissimus Scaligeri, & aliorum, pro adversa sententia, argumentis, incaluisset forsitan: Sed difficultas hæc prolixior

lixiorē postulat curam, quam eidem aliō tempore impendere constituimus.

§. II. Ut ergo ad illud revertamur, à quo sumus digressi, quid de fundamento Vossiani temporum syntagmatis dissensu nempe Hebraei Græciq; codicis, in annis Patriarcharum recensendis, habendum sit, exponemus: Non equidem nos fugit, quanto studio, LXX. Interpretum versionem commendarint veteres, & ii imprimis, qui Græco idiomatici fuerunt assueti, *Iustinum* puta, *Irenæum*, *Clementem*, & innumeros alios. Sed & Latinorum Patrum doctissimus *Augustinus* cum animadverteret LXX. Interpretes loco verborum וְאֵלֹהִים בְּנֵי הָאֱלֹהִים Gen. VI, 2. : & angelos Dei dixisse istos & filios Dei, horum approbavit paraphrasin: Merito enim, ad L. XV. de Civ. D. c. 23. Marcellinum inquit, creduntur LXX. Interpretes accepisse Propheticum Spiritum, ut si quid ejus auctoritate mutarent, atq; aliter quam erat, quod interpretabantur, dicerent, neq; hoc divinitus esse dictum dubitaretur. Et alibi veterum, de miraculoso horum Interpretum, quamvis separatim singuli federint, consensu, allegata traditione, subjungit: Tanquam si unus esset Interpret, quod omnes interpretati sunt, unum erat, quoniam revera Spiritus erat unus in omnibus. Et ideo tam mirabile Dei munus acceptant, ut illarum Scripturarum, non tanquam humanarum, sed sicut erant, tanquam divinarum, etiam istō modō commendaretur auctoritas, credituris quandoq; gentibus profutura quod jam videmus effectum. Item: Spiritus, qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in LXX. Viris, quando illa interpretati sunt. Qui profecto auctoritate divinā & aliud dicere potuit, tanquam Propbeta ille utrumq; dixisset, quia utrumq; idem Spiritus diceret, & hoc ipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus venē intelligentibus dilucesceret, & aliquid prætermittere & aliquid addere: etiam ut hinc ostenderetur, non humanam fuisse in illo opere servitutem, quam verbis debebat Interpret, sed divinam potius potestatem, qua mentem replebat & regebat Interpretis. Atq; de hac ipsa versione uti dissenserint *Augustinus* & *Hieronymus*, ex utriusq; scriptis satis manifestum est.

Gen. VI, 2.

L. XV. de
Civ. D. c. 23.

L. VIII. c. 42

c. 43.

§. 12. Et quamvis post Hieronymi tempora lingua Hebraea magis, quam olim exulta fuerit, cujus ignorantia ad auctoritatem quandam, versioni Graecae conciliandam, non parum videtur contulisse, diffiteri tamen non possumus praestantissimos Scriptores, & Graecos imprimis, LXX. Interpretum lectionem secutos esse; Unde etiam usitatus annorum mundi calculus, qui apud Graecos viget, originem suam dubio procul accepit, longè enim Codicis Hebraei rationes computu hîc superat, cum praesentem Christi annum 1662. ita in fastis suis Constantinopolitani signent, quod sit mundi annus 7170. quem quo constituent, intervallum inter Epocham mundi conditi & Christi, quod non nisi 3949. annorum fuisse, alibi demonstratum est, ut augeatur multum, ita scilicet, ut ad 5508. annosque ascendat, necesse est.

§. 13. Sed nec in Occidente desunt, qui pro LXX. Interpretum versione verba faciunt, & nisi à semetipsis discrepare velint, illorum calculum unà commendant. Annalium Ecclesiasticorum Scriptor *Baronius* de editione à Sixto V. comprobata, ita sentit: *Hoc nomine plurimum debent omnes eruditi, imò & tota Dei Ecclesia Illustrissimo ac reverendissimo Antonio Carafa, S. R. E. Cardinali Bibliothecario, qui multo laboris ac studio tandem Graecam LXXII. Interpretum editionem jam penitus antiquatam, in lucem vindicavit, eandemq; Latine redditam, non minori labore emendatam ac perpolitam edendam curavit: OPUS PLANE DIVINUM, AC DIVINITUS INSPIRATUM, quod à S. D. N. Sixto V. Romano Pontifice merito comprobatum, ac magnopere laudatum, ut Ecclesiae Catholicae esset usui, idem Sacro diplomate, in fronte ejus affixò, cunctis fidelibus significavit.* Sed & ad Martyrologium Romanae Ecclesiae provocat *Baronius*, in quo profiteatur eadem, se annos supputare secundum LXX. Interpretes, ut non obscure indicet, quam propensus sit in eorundem Interpretum calculum. Clarius tamen suam suorumq; mentem *Thomas de Vio*, patriâ *Cajetanus*, Ordin. Praedicat. Prior generalis ac postea Cardinalis Presbyter à Leone X. creatus, exposuit, quando occasione τὸ Kainan, LXX. Interpretum Codices omnibus aliis praefert, dum ratio-

Appar. n.
CXIX.

in Luc. c. 3.

ni con-

si consentaneum esse scribit, ut credantur potius manci mō-
erni Codices, quam ut tot Viri insignes studuerint, ad
gmentum aliquod construendum. His addendus esset *Hugo*
Protius, nisi à LXX. Interpretibus, quos commendat alias, in
itis Patriarcharum recessisset ipse; Quod similiter de *Capello*
abendum est, nam & is versionem sæpè quidem præfert fon-
ibus, vel illam his æquat, quando alicubi scribit: *Si quis dice-*
et, Codicem τῶν LXX. & illam Hieronymi duos esse fontes Ebraeos,
& non esset usq; adeò absurdum, vel intolerandum; computum
erò annorum mundi, qui apud LXX. habetur, non approbat
mninò, & Kainan imprimis, quem ut salvarent, *Cajetanus*,
Cornelius & alii laborarunt multum, removendum esse judicat.

in Critic. S.

§. 14. Enimverò præ omnibus aliis, quos hætenus vi-
ere licuit, Scriptoribus, calculum è Græcis Bibliis desumptum
Jacobus Vossius commendare coepit nuper, & ex adverso Co-
ices Hebræos vehementer accusare, atque una, omnes nostri
superioris ævi Chronologos, quod quindecim circiter
cula in Ætate Mundi determinanda omiserint; Ita enim
tulum dissertationis anno 1658. primùm emissæ fecit: *De*
Ætate Mundi, quâ ostenditur in tempore, quod à mundi crea-
one, usq; ad Abrahami Patriarchæ natalem elapsus fuit, annos
minimè 1440. desiderari. Sed quo de mente novi hujus, in
Chronologicis, methodistæ constet plenius, ejus ante omnia
xplicandæ hypotheses sunt, ita enim planum, quod speramus,
et omnibus, quam absona Vossiana inventa sint, & homine
uditò indigna prorsus. Primò quidem illud supponit, Ebræ-
s Codices non superesse amplius, qui olim erant, sed multifa-
am immutatos hodiè circumferri; Literas enim à Chaldaïs,
uncta vocalia à Masorethis accepisse, quorum exemplaria lau-
amus; *Si revivisceret Moses, inquit, ne unum quidem apicem*
Judeorum libris assequeretur, cum literas habeant à Chaldaïs pun-
ta verò & apices à Masorethis. Desinant igitur, pergit, viri boni
metipso decipere, ac Judeorum fabellis assensum præbere. Qua-
ing, illi tradunt de perpetua & constanti librorum sacrorum con-
rvatione, vera sunt impostura. Neq; verò formam externam
ntum Originalis Codicis immutatam esse vult, sed sensum
ipsum.

p. 248.

p. 418.

ipsum amissum esse persuasus est, quando de corruptelis tex
Ebræi conqueritur, quæ non librariorum tantum incuriâ, 1
quam maximè Judæorum malitiâ, acciderint, qui propter M
fiam tota quatuordecim Secula expunxerint, & alibi ad arg
menta provocat, quibus evicerit, totis sex vel septem Secul
ante Masoretarum laborem, tam annos, quàm prophetias
Sacris Codicibus à Judæis fuisse vitiatas.

p. 249.

in תהר S.
Inani.

p. 418.

Actor. Ca-
sius p. 348.

p. 294.

de transl.
LXX. Interp
p. 98.

§. 15. Rejctio ita Ebræo Mosis textu, aliunde Chronol
giam Sacram instruit Vossius, & cum è Capelli pharetra pro
nerali hypothesi, sibi petenda esse tela animadvertat, (quam
in ætate mundi consentientem non habeat) hujus præ
quis commendat Criticam, omnibusq; consulit, ut diligent
legant Capellum, & quidem eousq; , donec excussâ ingenii
bulâ, lumini advesciant, ac cognoscant, se in Sole cæcutis
Quod consilium cum à Christiano Scotano, quem adversarius
habet Vossius, neglectum esse sciret, disteriis rem confi
*Quod de instituto & Critica Sacra Capelli malè sentiat, mini
miror*, inquit, *De Crisi non benè judicant, qui crisi carent.* In
igitur totus est, ut assertam à Capello LXX. Interpretum lect
nem approbet, & novum temporum ordinem adstruat exinc
cujus rei gratia Sanctitatem & *ἀναγκαιότητα* Interpretibus
adscribit, quos & labor, & Apostolorum, totiusq; adeò Ecc
sæ autoritas, consensus & approbatio, imò Deus ipse sanct
carit, dum vertentibus, tanquam instrumentis suis, adstite
non tantum, sed opus confectum, velut fundamentum &
monstrationem tunc secuturæ doctrinæ Apostolicæ, ad nos
usque tempora sanctum & intemeratum conservavit. *Sed si
tio*, scribit, *si quid in rebus mortalibus sit, quod à quoquam possit
firmari, jam quoq; audere me absq; ullâ cunctatione affirmare
certo statuere versionem Pentateuchi Græcam, quæ hodie etiam
extat, toties recusa, illam ipsam esse genuinam LXX. Interpre
versionem.* Sed ut in compendio cognosci possit, in qua se
tentia Isaacus Vossius perstiterit hætenus, summam novæ h
potheseos, propriis Autoris verbis explicare placet: *Sic senti*
inquit, *si quis veros sacrarum literarum sensus cognoscere aveat*
huic præcipuè negligenda esse puncta vocalia, quæ à Masorethib; fu
ex

recogitata. Aut saltem, si illa ex parte retinere velimus, utiq; re-
ormanda esse ad mentem translationis LXX. Interpretum. Sola hac
versio sincera est, & ἀναμάρτητος, approbata à vetustissimis Ju-
eis, ab Evangelistis & Apostolis, ab universa primitiva Christi Ec-
lesia. Quod si qui in ea navi appareant, illi non Interpretibus,
sed librariis sunt imputandi.

§. 16. Neque verò versionem Græcam tantum, qua com-
mune annorum mundi textui Ebræo præfert Vossius, sed &
antiquitatum Judaicarum Scriptorem, Fl. Josephum ad Pro-
phetarum usque culmen propemodum evehit, quod à LXX.
Interpretum numeris non multum recedat, imo illos è Josephi
opere corrigit quandoque, quia certum esse judicat, Codices
Ebræos, tempore Josephi, nec tum fuisse vitiatos, hos igitur
hibuisse Antiquarium censet, non, quæ aliorum opinio est,
translationem Græcam. Sacerdote enim & Legum apud Judæos
Interprete, indignum fuisse studium, neglecto fonte limpidi-
tatis, tunc temporis, sequi rivulos. Quod autem in Josephi
opere nonnunquam legatur aliter, atq; apud LXX. Interpretes,
his rei rationem hanc allegat, quod nunc mendosa sit versio,
æcquæ eò seculò, quò Josephus vixit, eadem continuerit tempo-
rum spatia, qui in Originali historię creationis textu legerit
est. Et quem alium, quam Josephum allegare poterit Vossius
(fragmenta enim aliorum sublestæ nobis videntur fidei) de
hoc in numero multitudinis loquitur, quando scribit, *nolle se
diuturnos Rabbinos sequi, eorum fautores* (orthodoxos integri-
s fontium assertores pungit scilicet) *sed illos Judæos, qui stan-
tiæ Hierosolyma floruerunt.*

§. 17. Atq; hæc de LXX. Interpretum Chronico præstan-
tiorum Scriptorum Vossiiq; imprimis sensa sunt, quorum
translationi perbrevis subjungenda *Admonitio* est, ne vexentur
plus Chronologi vel immanissimi certè erroris accusentur,
quod quindecim secula neglexerint. Et primò quidem non
videmus Interpretibus laudem, quæ jure iis debetur, si exta-
modò integrum, quod perfecerunt, opus. Quemadmo-
dum enim dubium non est, utriusq; linguæ, Ebrææ & Græcæ
primè gnaros ad hoc negotium delectos olim esse, ita & ipsi

*In Synops.
passim.*

à fide sua & sedulitate mirificè celebrantur. Illud verò ante omnia explanare debuissent, qui Chronologis de novo crucem figunt, quorum corrupti sint libri, Græcorum ne an Ebræorum? Illi certè vehementer suspecti sunt, & nonnullis planè supposititii videntur; Nam Eruditissimus Armachanus quem admodum ipsimet Vossio non ignotum fuit, in peculiari scripto, hanc defendendam in se suscepit sententiam; Versionem Græcam, quæ hodie extat, confictam esse, & statim post tempora Ptolomæi Philadelphi, genuinæ substitutam. Verum enim translationem LXX. Interpretum delituisse semper in Bibliotheca Alexandrina, nec lectam, nec descriptam à quoquam, demum incendio fuisse consumptam; Inventos igitur esse, qui aliam quandam versionem, sub LXX. Interpretum nomine, substituerint, nec visam nec lectam Philadelphi tempore, atque hanc illicò fuisse approbatam, & ab Apostolis eorumque discipulis in Ecclesiam admissam, quæ etiam usq; ad hæc tempora perseverarit.

§. 18. Quamvis autem apud omnes locum non inveniam Armachani sententia, in eo tamen plures consentiunt, rudera tantum & λειψαῶνα veteris versionis superesse hodie, & corruptos adeo sub LXX. Interpretum titulo circumferri codices. Cum adversus Pontificiæ Religionis homines, quos primum allegabamus, è textu Ebræo deductus temporum calculus, vindicari debeat, non alium, quam Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Robertum Bellarminum allegabimus; Is enim quamvis certissimum esse senserit, LXX. Interpretes optimè transtulisse & peculiari modò Spiritum S. assistentem habuisse, ne qua in re errarent, ut non tam Interpretes, quam Prophetæ fuisse videantur, confestim tamen addidit: *Multo probabilius censeo, illam versionem adhuc superesse, sed adeò corruptam & vitiatam, ut omnino alia esse videatur*, quod testimonio Hieronymi & dissensu hodierni Græci Codicis ab Hebræo confirmat, imò posterius argumentum ab exceptione quadam, quæ vulgata hodie est, liberare contendit: *Neg, videtur, inquit, satis aptè hoc argumentum solvi ab iis, qui respondent, textum Hebraum esse corruptum, ubicunq; à Græco discrepat: Nam neg, hæretici hoc*

de V.D.L. 2.
c. VI.

hoc admittunt, qui anteponunt *Hebraum textum Græco*, neq; *Catholici* admittere debent, ne fateri cogantur, *vulgatam editionem Latinam*, quâ *Ecclesia Catholica* tot jam seculis utitur, & quam *Tridentinum Concilium* authenticam esse judicavit, totam quoq; esse corruptam. Nam excepto *Psalteriô*, *Latina editio cum Hebrais* c. X.
codicibus magis convenit, quam cum *Græcis*.

§. 19. Sed etiamsi integra adhuc extaret *LXX. Interpretum* versio, illud tamen secus sentientibus onerosum foret, quam maximè, *Translatorum ἀναμαρτυρία* demonstrare, & quod humana ab iisdem aliena fuerint. Negari enim non potest, erroribus expositum esse hominum genus, & labi facile in arduis imprimis negotiis, nisi è vulgari cœtu eximantur à Deo, & quod Sancti Spiritus amanuensibus accidit, infallibiles reddantur. Enimverò, de *LXX. Interpretibus* nulla exit promissio, quod ab erroribus immunes esse debeant, nec vixerunt illi seculò, quò vates, quibus arcana revelavit Deus, docuerunt orbem, *Malachiâ* venerabilem hunc ordinem concludente.

§. 20. Sed nec de eo constat satis, an *Hebraum*, an *Samaritanum*, textum transferre Interpretes voluerint, postea Philologis quibusdam asserentibus, quorum magna auctoritas est. Et si Samaritanum adhibuerunt codicem non fonte, sed rivulis qui illò puriores esse non solent, hauserint Græci. Quæ verò de miraculis, versionem hanc concitantibus, eandemq; commendantibus multum, circumferuntur, allegataq; à Vossio sunt, in iis tandem omnes ad Arieam deveniunt, quem librum supposititium, & confictum à *Idæis* Scaliger alicubi evincit.

§. 21. Omnem denique scrupulum Apostoli nobis exiunt, quando à *LXX. Interpretum* versione sæpissimè receperunt, quod ab iisdem fieri non potuisset, si Deo dictitante scriberet conscripta. Innumera allegari loca possent, si argumento hic inhærere diutius nostri instituti foret; Sed nec *Origenes* scripsisset *Tetrapla*, *Hexapla* aut *Octapla*, nec *Eusebius* in *chronicis* *Kainan* omisisset, si ea, quæ de *LXX. Interpretibus* magnifica dicuntur, credidissent. Et ipsemet *Vossius* suam

non obscure sententiam oppugnat, quando LXX. Interpretum versionem deserit, quod aliquoties in scriptis ejus observari potest. Enimverò ad convincendos homines nullum efficacius argumentum est, quam quod à mutuo autorum sententia alicujus dissidio deducitur, cum sibi ipsi nunquam repugnet veritas, sed cum mendacio tantum bellum gerat. huic proprium illud est, atque perpetuum, quod contradictionibus variis se prodat. Quanto igitur prudentius fecisset Vossius, si antequam novam hanc proposuisset sententiam, deliberasset prius, velitne LXX. Interpretibus, an Samaritano Codici, an denique Josepho adhærere, ita enim sibimet ipsi non contradixisset tam foedè, & Josepho palmam tribuisset sapius, quam Græcis promiserat.

p. 291. §. 22. Sed ut brevitati studeam, & paucissimis conficiam rem omnem, quam falsa, quàm erronea Isaaci Vossii de Græcorum numeris sententia sit, textus Hebræi integritas ab aliis prolixè asserta, satis evincit, quam ille ineptò per omnia discursu, suspectam reddere conatur, quando adversus Hornium scribit: *Magnas apud omnes Christianos inibit gratias, qui ostendere poterit, unde nam ergò ista lectionum varietas promanarit. Cum enim in omni discrepantia aliqua sit corruptela, oportet ut cum omnibus eruditis fateamur, aut libros Sacros non omnino incorruptos ad nos pervenisse, aut ut cum insipidis quibusdam Judeis statuamus, variantes istas lectiones ab ipsis Prophetis esse excogitatas. Tale si placuerit commentum, jam etiam dicendum ab ipsis Apostolis & Evangelistis consistas esse lectionum discrepantias, quæ passim in Novi Testamenti Libris occurrunt.* Hucusque Vossius, à lectionum discrepantia omnimodam textus Hebraici corruptionem probans, quasi non idem adversus Græcos codices urgeri possit, de quibus ipsimet Vossio nondum constat, unde probatæ fidei exemplar advehendum sit, & quæ præferenda lectio.

§. 23. Ejusdem ponderis & altera Vossii ratio test, quando fidem numerorum in Hebræorum Libris extantium, ideò sollicitat. quod Mosis autographum non habeamus. Interfuit scilicet antiquarius ille LXX. Interpretum cellulis, & muscas

ustas abegit, ut viderit eorundem autographum. Caveamus
ergo omnes, ne Isaaci Vossii libros legamus, quos Adrianus
Iacq. edidit, autographum enim Autoris nemo nostrum
vidit.

§. 24. At gravissimam habuit causam, Vossius, inquis,
cedendi ad Hebræorum numeris & quindecim seculare Græ-
s codicibus addendi: *Quis enim non videat, aut negare au-*
eat, ad obtundendam eorum impietatem, qui ex profanarum gen-
um antiquitate sacrarum literarum fidem impugnant, efficacissi-
um & unum pene esse remedium, ex ipsis gentium annalibus veri-
tem divina Historie ostendisse? Itane ut gentilium confuten-
r mendacia, Bibliorum textus vocandus erat in dubium,
veritas ipsa deferenda? Sed nec quindecim Vossianis seculis
missis, cum gentilium Annalibus, mirificus ille Chronolo-
s convenire poterit, Nam quid Arcadiæ respondebit incolis,
quibus Poeta:

Ante Jovem genitum terras habitasse feruntur

Arcades & Lunâ gens prior illa fuit.

que in aliis forsitan annorum myriadibus excogitandis labo-
Vossius, ut cum Ægyptiis quoque in gratiam redeat. Non
pugnanda ob mendacium veritas est, nec ut errorem
confutemus, fingendus est alius. Sibi ipsi sufficit veritas, si ve-
noscant eam homines, si ve ignorent.

§. 25. Nec juvat Vossium ratio, quam non semel alle-
in Hebræorum libris, pro ratione ætatis, nimis brevem sta-
pueritiam, cum longam vitā necessario longa præcedat pue-
a. *Tempus pubertatis, ait, ut plurimum tertia, aut quarta pars*
vite humane, raro quinta, rarissime sexta. In Græcorum igi-
libris cum pubertatis & senectutis anni ordinentur melius,
um potius numeros amplecti expediet. Falsissima scil.
ssii hypothesis ea est, cui hæc innititur collectio: Non plu-
nec citius generasse veteres, quam in Mosaicis Libris ex-
sè definitum sit. Cum quasdam tantum Genealogias in
ptura Sacra habeamus expressas, non omnium nepotum,
ex Patriarchis descenderunt, catalogum. Sed & id per-

quam ineptum esse judico; quod tempus pubertatis definia-
Vossius tertiam aut quartam partem vitæ humanæ; Quæso Te
quid fieret, si ætatis annō sextō moreretur aliquis, an bimulus
pubuisset antea? Sed & embryo forsitan, si post nativitatem de-
cedat infans, in utero materno pubuit? Apage ridiculam han-
de pubertatis tempore opinionem.

§. 26. Tandem igitur Eruditos omnes nunc compellamu-
judices, ansufficientem causam habuerit Vossius indignissim-
tum omnes hujus & superiorum seculorum Historicos, tum Pa-
rentem ipsum tractandi, & immanem errorem atq; quindecim
seculorum neglectum, iisdem objiciendi, & tantā quiden-
cum fiducia, ut jactabundus concludere ausus sit; *Si qui præ-
ter eam, quam ostendimus, aliam possit indicare viam, qua
tollendis omnibus difficultatibus & controversiis sufficiat, his ego
libenter assurgam, nec viros tantum, sed & Prophetas & majores
Apostolis profitebor.* Ita scilicet & informes catulos lambunt,
& hirsuti foetus ursis placent, nec ad errorem defendendum
efficacius movet quicquam, quam quod à nobis excogitatus i-
sit. Quanto rectius fecisset Vossius, & autoritati suæ consu-
lisset, si Parentis premere vestigia, non novis hypothesebus
confundere Lectores constituisset? Periculosa res novitas
est, & rei literariæ non parum nocua, ab eadem igitur
cavendum potius, quam intempestivo
consilio properandum.



Natalem Mundi verum perquirere nostri,
Exiguæ non est sedulitatis opus.
Hunc quia pertractas, ostendis abunde placere
Ingenio nobis non nisi magna Tuo.

*Eruditissimo Dno Respondenti, Convictori
& Domestico suo dilectissimo de egregiis
Studiorum profectibus animitus
gratul.*

PRAESES.

Ad

Doctissimum & modestiâ insigni Juvenem

DN. HIERONYMI.

Principium magni, res est haud parva, tenere

Orbis, & ingenij non mediocris opus.

dic Apollo tuum, folers HIERONYME, scriptum,

Hocce meretur, ait, quod comitetur bonos.

Gratulatur. Georg. Casp. Kirchmaier.

Georg. Casp. Kirchmaieri,

Eloqv. P. P.

Scrutari aetatem mundi non minima res est:

Dum durat mundus, durat & illud opus.

Gratulab. manu

deprop.

M. Joh. VVolff. Rentschius,

Fac. Phil. Adj.

Non inani semper inertia

Perdemus ævum, sint procul otia

Qui desides, pigriq, somno

Desidiosa terunt supino.

Amminatus te juvat unica

tutis ardor, te Probitas juvat

Heinrice, dum promptus capessis

Tantum opus, impatiens veteris.

q, erudito pondere Vosli

stium basitantis vaniloquam premis

Sententiam, priscoq, priscos

Restituis numeros decori;

*Hinc te perenni fama velocior,
Ac aurea ætas, excipiunt sinu,
Sic perge felix, & labores
Sera tuos numerabit ætas.*

*Hæc festino adjecit
calamo*

M. Petrus Schultetus,
Hamburg.

Non opus, ut celebrem dictis, Henrice, labores
Multis, quæis montis numina sacra colis
Aonici, potius studiorum sedula cura
Ex scripto statim cernitur ipsa tuo.
Non aliter, dudum, quod trita paroemia dicit;
Unguibus ex ipsis cernitur ipse leo.
Scilicet ingenium parvis incumbere temnens,
Tempore de mundi dogmata docta docet.
Ardua cum placeat versare negotia, quare
Magna parare potest sedulus ille labor.
En summu[m], precor, ut numen Tibi flamine sancto
Subveniat, quò sic doctior astra petas.

*Hæc amico suo & Conterraneo dilectissimo
festinante calamo gratulab[ar]
scribebat*

Johann-Adolph Tiedeman
Schlesy, Holsat.

FINIS.

